



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 6. Rex ob hoc facinus vehementem indignationem simulans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

§. VI.

Sæcul. XVI.

A.C. 1572.

Rex ob hoc facinus vehementem indignationem simulans.

Adhuc dum Rex pila ludebat, dum hujus facinoris nuntium acceperat, moxque vehementem indignationem simulans reticulum in terram projecit, atque ira commotus dixit: „ergone nunquam quiescere potero, semperque novæ indies turbæ?“, postea Sphæristerio excedens Lugaram secessit, palam professus, quod tanti sceleris auctorem severe punire vellet: insuper Guisium Ducem capi jussit, qui tamen jamjam fuga evaserat: interea Navarrus Rex, & Condæus Princeps de facti indignitate querentes ad Regem contendunt, petuntque, ut nunc, quando sibi, ac suis Lutetiæ secure subsistere non permetteretur, saltem cum bona ipsius gratia eis liceat discedere. Ad hæc Rex adhibitis vehementioribus, quam antea, diris fidem suam obstringit, se de percussore, auctoribus, fautoribus, ac consciis eas pœnas sumpturum, quæ Colinio, ejusque amicis satisfacerent, ac ceteris in posterum exemplo forent futuræ: id vero, quod factum est, tam sibi displicere aiebat, quam cui maxime, sed quando id infectum fieri non possit, de remedio se accurate cogitaturum, facturumque spondit, ut omnes intelligant, vulnus Colinio

A 5

qui-

Sæcul. XVI. quidem esse inflictum, intimum autem
 A.C. 1572. ejus sensum ad Regem pertinere: porro
 ejus rei ut ipsimet testes sint, neve
 Lutetia excedant, Navarrum, & Con-
 dæum rogabat. Mox etiam dicentem
 excipiebat Catharina, quæ aderat, &
 Regi, non Colinio factam injuriam tes-
 tabatur, eoque tandem evasuram esse
 licentiam augurabatur, ut ipsum aliquan-
 do Luparæ in suo Palatio aggredi au-
 deant, si hoc impunitum facinus relin-
 quatur: itaque suadebat, ut omnes ca-
 pesserentur rationes tanti sceleris acer-
 rime vindicandi. His verbis indigna-
 bunde prolatis placabantur utcunque
 Navarræ Rex, & Condæus Princeps,
 qui nihil simulate agi credebant, ita, ut
 de discessu ex urbe nullum amplius ver-
 bum facerent.

§. VII.

Inane studium pro capiendo Sicario.

Postmodum Rex illico in Sicarium, cu-
 jus nomen adhuc ignorabatur, in-
 quiri jussit, deditque Parisiensi Prætori
 negotium, ut ubique Satellites ad An-
 degavenlis jussa paratos disposeret, cun-
 ctasque urbis portas occluderet, exce-
 ptis duabus, per quas annona infere-
 batur, eas tamen Rex valido custode
 muniri præcepit: postea Christophorus
 Thuanus, Bernardus Prevotius Morfa-
 nus